

**Oratio Harveiana secunda ex aedibus restauratis Collegii habita Junii XXV,
MDCCCXXVII / a Roberto Bree.**

Contributors

Bree, Robert, 1759-1839.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Londini : Prostant apud C. et J. Rivington, 1828.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tbv4yuzg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

At the Royal College of Physicians 20.

ORATIO HARVEIANA

SECUNDA


EX ÆDIBUS RESTAURATIS COLLEGII

HABITA

JUNII XXV, MDCCCXXVII,

A ROBERTO BREE, M.D.

COLL. REG. MED. LOND. ET REG. SOC. SOCIO.



LONDINI:

PROSTANT APUD C. ET J. RIVINGTON, 3, WATERLOO PLACE.

MDCCCXXVIII.

ORATIO HARVIANA

SECUNDA

EX AEDIBUS RESTAURATIS COLLEGI


IN HONOREM HARVARDI

JUNI XXV, MDCCCXXVII

A ROBERTO BREE, M.D.

COLL. REG. HEB. REG. ET REG. REG.

IN HONOREM HARVARDI



LONDINI

REGENT ARTH. C. ET J. RIVINGTON, 8, WATERLOO PLACE

EX OFFICINA T. BRETTELL, RUPERT STREET, HAYMARKET.

HENRICO HALFORD, M.D. BARONETTO,

&c. &c. &c.

PRESIDENTI

SOCIISQUE COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS

HANC ORATIONEM

IPSORUM JUSSU IN PUBLICUM EMISSAM

D. D. D.

ROBERTUS BREE.

ORATIO HARRISIANA

HENRICO HALLFORD, M.D. BARONETTO

PTESIDENTI

HANC ORATIONEM

ROBERTUS WILK

ERRATUM.

Pag. 9, Linea 2, pro "fuit," lege "fecit."

ORATIO HARVEIANA.

HAUD admirandum est, Docti Sodales, homines cordatos, eosque præcipue, quibus mens inerat avida naturæ investigandæ, frequenter lamentationem illam Hippocraticam emisisse, “ Vitam esse brevem, artemque longam.”

Fieri non poterat, quin priscæ ætatis viri, studio naturæ dediti, qui seorsim a sociis similia quærentibus meditabantur, hujusce veritatis vim cum gravissimo inanis laboris sensu altius perciperent. Huic autem magno cognitionis humanæ impedimento summi numinis benevolentia tandem subvenit; divinitus, scilicet, homines admonendo ut in societates atque sodalitia sese colligerent, quo facilius atque frequentius consilia pro communi salute inter se possent inire.

Viri tandem scientiæ dediti et desiderio investigandi œconomiam animaleam resque naturales et medicas impulsim in societates sese congregarunt. Ita amplior experientia

homini, in vita sua brevi permissa, et benevolentia Creatoris erga suos illustrata et comprobata fuit.

Collegia hinc instituta, quibus non portio solummodo doctrinæ unius cujusque partæ labore, sed quod ab omnibus cumulatur id integrum singulo cuivis contigit.

Et, ecce! Biennio ex Ædibus restitutis nostris, dies solennis nobis rediit, quo pro more divulgantur laudes illustrium virorum, eruditione et virtute, æque atque studio et ingenio excellentium. Virtutes enim probe merentium memorare, si jucundum sit animis gratis, quanto plus recordationem piam iis debitam esse cogitabitis, qui inter antecessores vestros, ingenio, inventis, literis, scientia, sese illustres præstiterint.

Qualis vero disciplinarum intellectus, qualis doctrina, quæ literæ ad eam attinebant ætatem, qua nostra civitas initia sua cepit, brevi percurrere mihi liceat.

MEDICINAM cultui bonarum literarum conjunctam a Græcis magno pretio habitam fuisse apud omnes in confesso est. Non adeo vero Romani æque estimandos ducebant Medicinæ professores. Medicina languescebat, et tandem ad occasum imperii Romani pene procubuit. Galeni vero fama et auctoritas superstites manebant ad seculum sextum. Quinetiam, soluta potentia militari, non penitus tamen defecerunt vires literis Romanis.

Quamvis pristinæ mentis fervor consenuisse videatur cum declinatione potentiæ imperii, ad finem vero imponendum scientiæ et artibus, propemodum moribundis, atque ad mortem ipsam illis afferendam, necesse fuit ut gentes Barbarorum in Italiam penetrarent, et clades et ruinam secum afferrent.

Sedes Imperii Orientalis Byzantio posita ad medium fere seculi quarti reliquias doctrinæ literarumque sibi attraxit, quæ adhuc infelici Italiæ adhærere voluerant.

Saraceni combustionem bibliothecæ Alexandrinæ indicium præbuerunt, qua vastatione Barbari medicinam literis ævi

istius conjunctam persequi poterant. Saraceni Græcos premebant, donec Constantinopolis capta est. Tum Philosophia, Doctrina, Literæque iterum profligatæ ad medium seculi decimi quinti in Europam redierunt.

Italiam, literas et artes desiderantem, Fortuna demum respexit. Italia propria sua felicitate gaudebat, sese almam quasi matrem dilectissimis suis musis præbens ex tyrannide Barbarorum fugientibus. Sex annis, solummodo ante diem natalem cujusdam Britanni, de quo sum locuturus, exules ex Græcia profligati assylum in Italia invenerunt. Annis subsequentibus, docti quidam viri ex Oriente, fiducia et numero crescentes, ibi se sensim contulerunt. Hi exules literarum et scientiæ studia sibi propria prosequentes, quasi domi stabiliti, ibi sedem posuerunt.

Exul quidam insuper, non ex tyrannidis vi elapsus, sed ad patriæ suæ felicitatem promovendam, incitatus, et ad academias novæ scientiæ vi instaurandas coram illis sapientibus in Hetruria studentibus, apparuit.

Quisnam est Peregrinus iste a Septentrione profectus, qui exules sagaces illos Orientis viros adeo avide prospexit?

Hic est honoratus noster Institutor et Legislator, Britannus ab Oxonia, perillustris THOMAS LINACRUS.

Linacrus postquam studia in Academia Oxoniensi prospero successu fuerat persecutus, ad oras Italiæ profectus, qua literarum uberiores messem colligere expectabat, eam porro feliciter acquisivit. Ea inter causas præcipue itineris Linacri in Italiam eadem fuit, quæ annis paucis interpositis, Erasmo futura esset in Angliam properanti. Hoc, scilicet, utrique fuit propositum, nempe sermonem Græcum acquirendi, cujus cognitione Erasmus affirmavit “ omnem doctum pro necesse se accingere oportere.”

Per multos annos lux Doctrinæ subinde in Italia affulserat, antequam viri literati sese ibi contulerunt: in alias vero regiones radii Scientiæ non inciderant, priusquam Linacrus in Italiam advenit. Hic illum accepit in amicitiam suam *Laurentius Medicæus*, Dux Hetururiæ, cujus gratiam sibi omnino conciliavit. Florentiæ se eruditorem reddidit, præceptis doctorum virorum Politiani et Demetrii instructus. Postea Romam profectus ad perficiendam disciplinam suam Hermolao Barbaro sese adjunxit.

Annis interpositis paucis Linacrus, in patriam suam reversus, literas, disciplinas, omnia quæ vi indolis investi-

gantis mens sua acquisiverat, secum reportavit. Domi fama comitabatur ejus adventum, adeoque, ille tum claruit, ut dignus censeretur, qui studiis, et moribus et valetudini filii Henrici Septimi præsideret, nec non qui saluti Regis ipsius præponeretur.

Ante natum Linacrum quænam tenebræ regiones intellectus obscurarunt jam ostendimus. Ad ecclesiam si nosmetipsos convertamus, statim videre licet, hanc minime antiquæ sapientiæ laudem tenuisse, eam vero ignorantiam adeo fuisse obrutam, ut sapientiam potius contemneret, et pro nihilo haberet. Nec in Academiis meliores obtinebat ratiocinandi methodos doctrina, quam quales ab Aristotele fuerant relictæ. Scientia Philosophandi more Verulami prorsus deerat: et, si quid certi et explorati in medicina inesset, a Græcis libris fuit extractum, non sine Arabum fictionibus una commixtis.

Britannia, quamvis tardo vias scientiæ cursu persequeretur, Linacrum tamen possidebat illum, qui omnia ad sapientiam pertinentia, magno animi ardore, excoluit, in hisce etiam temporibus ignorantiae caligine undique obfuscatis. Linacrus, omnium primus, ad honestatem Rei Medicæ vindicandam tota mente incubuit, atque in hac

causâ tam feliciter operam navavit, ut eam e dedecore eriperet, ejusque dignitatem pro bono publico erigeret, firmiterque stabilitam redderet.

Quales huic viro in omni literarum genere opes mente sua acquisitæ fuerint, tum domi, tum apud exterarum regionum, has omnes ille in honorem medicinæ simul contulit. Sub auspiciis Henrici Octavi posita sunt nostræ civitatis fundamenta : nec præterire licebit favorem Wolseii Cardinalis, adjutoris literarum ; qui Rei Medicæ, una cum disciplinis ab Oxonia delatis, auxilium attulit. Itaque gloriamur Institutoris nostri nomine Linacri, cujus legibus, et consiliis respublica nostra fuit erecta, et ad artes disciplinasque promovendas firmiter facta. Quoad rerum nostrarum progressum Linacrus continuâ pietate et studio erga nos præ se ferebat benignitatem omnino paternam. Domum propriam quasi Collegium vestrum primum concessit, quam insuper testamento suo nobis legavit : cavendo, ne locus concilii post mortem suam nobis unquam deesset.

Hunc virum licet denique prædicare, quasi liberantem id quod erat in patria sua mentis medicæ, si ita loqui conceditur, foedis inscitiae vinculis—quasi omnium bonarum

artium strenuum et ministrum et fautorem—de communi bene merentem hominum societate—nobis insuper nostrisque commodis ita naviter servientem, ut summo jure nobis sit semper laudibus extollendus, piâque medicorum memoriâ per omne ævum publice recolendus.

Annis non multis post tempus Linacri apud vos ortus est alter rerum nostrarum fautor, CAIUS, qui artem medicam insigniter excoluit, eamque latius altiusque evexit. Proxime vestigia premens Linacri ad scholas Italiæ se contulit, quæ ejus adventu gaudebant, quando eum disciplinas literasque sequentem, eo animi ardore, conspexerunt, quo Linacrum antea videbant. Ille rebus medicis totus assiduusque incubuit, et quoniam Physiologiæ inventis animum propensius addixerat, studia sua cum Vesalio et Columbo, non sine maximo fructu, prosequabatur.

In suam patriam reversus, ornatu literarum et fama scientiæ clarescens, Caius apud suos recordatione læta acceptus est. Hic sede posita, minime sane almam suam matrem Cantabrigiam, amore pio imbutus, deseruit; sed Collegium suo nomine insignitum, more Linacri, ibi fundavit. Ad exemplum illius magni viri in omnibus, quæ

ad rem medicam pertinebant, se gerens, studiosorum medicinæ causa, Collegium Caii conditum fuit : cui instituto gloria principia omnigenæ doctrinæ infundendi in mentem illustris Harveii destinata fuit.

Apud nos Caius res Anatomicas præcipue excoluit, suâque industriâ id maxime effecit, ut studium Physiologiæ latius feliciusque vigeret. Ille scholam etiam Anatomiae hic posuit, ubi Chirurgos prælectionibus suis instruxit, quæ physiologiæ principia, in arte chirurgica tum magnopere desiderata, fusius explicare professæ sunt. Debemus igitur Linacro, conditori nostro Caium, imitatore simul atque æmulum : Caio autem debemus Harveium ipsum, clarissimum Rei Medicæ, scientiæque omnigenæ lumen, grande decus, columenque nostrum.

CALDWALLUS et GOULSTONUS prælectiones instituerunt chirurgicas et anatomico-pathologicas. Investigationes proferebantur doctorum nostrorum monitis incitatae usque ad inventi in re medica insignissimi ævum.

CIRCUITUS SANGUINIS (an. 1578) in prælectione Caldwelli primum ostendebatur. Hoc inventum esse HARVEII

ita probatum est, quamvis Servetus et Columbus verba quædam vaga ad hoc pertinentia dixerint. HARVEIUS ad recessus occultos œconomiae animalis primus viam monstravit, atque illam intra hæc moenia in lucem protulit. Experimentorum et disceptationis vi sociorum captui manifeste inventum suum patefecit; atque insuper animalium generationis principia, quasi investigationis materiam exinde ortam, hactenus in tenebris latentia, plane exposuit.

Beneficiis amplis res nostras locupletavit Harveius: præcipue vero ingenti nominis sui gloriâ, exemplique sui magno munere huic nostræ per omne ævum sodalitati propriis, nos nostraque ditavit. Quisnam enim de medicina, de philosophia, et methodo experimenti in eâdem proseguenda; de doctrina et artibus plus meruit? Illustris ille Vir nobis totus fuit; apud nos vitam degebat, et moriturus nos non destituit; sodales usque suos per totum longæ vitæ curriculum fovens eos et amare simul et vivere desivit.

Quid refert inter gaudia diei hujusce nomini tam claro dicata, injurias memorare, quæ ad viros insignes ex mentibus infirmis nonnunquam proveniunt. Invidiæ, iræ, obtrectiones, ubinam sunt! Inventor circuli sanguinis

monumentum scientiæ sacrum, ære perennius erexit, quod ne quidem edax ipsa vetustas, hominum atque naturæ etiam laborum adeo invida, unquam poterit abolere. Non nobis solum, sed etiam toti terrarum orbi Vir ille magnus, qui sane undique audit, quasi proprio suo nomine immortalis Harveius, invidia tandem major, vixit semperque posthac in annis vigendo vivet.

Quales fuerint vestri majores ab instituto apud nos Rei Medicæ ad tempus usque Harveii ; quibusque rationibus eorum legibus obtemperare vos conari debetis satis enuntiatum est. Inventum Harveii multam in aliis solertiam, cum studio et æmulatione nova evocasse monstrare possumus. Quomodo vero accendi nostrates videntur sacro illius viri ingenio, nostrum non est diffusius hic disserere. Ne nimii vero videamur in itinere satis frequenter trito, via hacce paulisper absistere liceat, dum misso argumento quod ad medicorum institutiones attinet pauca quædam de Medicinâ ipsâ, quasi hominis primæ fabricæ propria, dicere aggrediamur.

Si quærat, quænam fuerit *Medicina* in origine rerum ? et ad quos fines fuerit destinata ? Missis modis eam exercendi, quibus usi sunt professores hodierno die, ascenda-

mus ad ipsa rerum primordia, et ab eo, quem jam cernimus rerum ordine edocti, hanc gravi materia refertam quæstionem investigare conemur.

Materiam mundi fuisse factam ex congerie rerum prout sensibus nostris obversatur disposita intelligimus. Lockius, si illum de hisce rebus audiamus, inquit, “ nos cogitationes “ nostras impellendo ultra notiones vulgo consuetas, ad “ sensa quædam obscuriora materiæ primigeniæ ordine “ conditæ pervenire possumus.” Non vero mihi est in animo hæcce obscuriora tractare de materia primigenia, ex qua omnia sunt rite condita. Quomodo facta fuerit *Materia* nescimus; *de fine* autem quem prospexit Creator in *materia* facienda licet forsan ita disputare. Quum Summum Numen spiritum suum cum materia conjunctum vellet, materiam domicilium scintillæ vitæ fieri decrevit. Porro, eodem tempore, quo Homo factus est, ad illius salutem et felicitatem ejus conservandas medicina fuit decreta. MEDICINA, inquam, adscribenda est, non consilio hominis, sed benevolo Dei placito in primordiis rerum ipsissimis.

Ut Materia fieret idoneum vitæ receptaculum necesse erat, ut formam quandam congruam, qualis Creatori maxime placuerit, Homo assumeret: insuper Creator ordinavit

scintillam vitæ in conjunctione hacce mansuram esse, quamdiu voluntati suæ placuit. Corporeum vero hoc receptaculum, quantumvis congrue et affabre factum, ad officium tamen suum peragendum minus idoneum potest evadere, ob causas satis omnibus notas, semperque naturâ hominis patefactas. Quales sunt animi jactationes, et cupiditates indomitæ; vitia et errores; omnia denique quæ a corrupto morum in societate hominum statu ad sanitatem depravandam possunt accidere: ex quibus sane causis factum est, ut celerius huic conjunctioni vitæ principii cum corpore hominis finis imponeretur. Sanitate ita corruente domicilium minus idoneum evadens languescit, frigescit; ægritudines, dolores, æumnæ accedunt; felicitas hominis sensim decrescit, dum magis, magisque indies incongruum fit vitæ domicilium, donec diutius servari non potest materia receptaculo Spiritus Divini apta.

Quis hanc miseram humanæ naturæ sortem contemplan, vel hilum misericordiæ affectu tactus, in querelas non erumperet acerbis, “ eandem pæne esse, exclamans, “ et vitæ et mortis januam—initium ipsum existentiae mortaliū introitum etiam esse in eam, quæ ad interitum

“ ducit, viam, eheu ! quam asperam atque confragosam—
“ spinis sentibusque horridam, quam tristem, quam luctu-
“ osam !” Tandem tamen ex hâc fæda et inconcinni cor-
poris massa quacum ægre implicita fuerat, scintilla sacra
evadit ; reditum lætum quærens ad Summum Numen, et ad
supernas illas purissimas regiones, e quibus primo descen-
derat. Denique congruitate domicilii penitus perdita vitæ
principium sedem suam relinquit.

Nec inepta inquisitio hæc de natura hominis primo suo
ortu est omnino habenda. Quonam enim modo prima sua
origine hæc hominum compages fuerit disposita, si inve-
nire non possumus, finem tamen ejus ultimum inspicere
et intelligere videmur. Rerum omnium analogia nos
docet, qua mente, qua cura Creator Summus fabricam
Hominis vita ita instructam conservare voluit.

Ad caducitatem operis sui obstandam, et ad valetudinem
corporis custodiendam, *Medici Officium* quasi cuique ho-
mini proprium a Divino Numine decretum est. Ita, sci-
licet, ut videtur, ruinæ vel depravationi immaturæ domi-
cilii vitæ obstare, Deo placuit. Quo consilio et cui usui
variæ corporis partes fuerint formatæ, Anatomia demon-
stravit. Ab origine rerum Homo partem tenuit hominis

conservandi. Homo igitur, medici erga seipsum officio fungens, materiam hominis ejusque œconomiam debet investigare. Medici quidem sacerdotes templi hominis jure possunt nuncupari. Illis permissum est investigare corporis materiam cum vita conjunctam—in naturæ recessus inire, et non modo inire, sed etiam motus fabricæ dirigere, impellere, coercere. Illorum est actiones partium variantes persequi, atque statum præsentem observando ex illo conditiones eas prospicere, quæ corpori in mutationibus motuum vitalium possunt accidere.

Philosophus invenire cupit situs præscriptos, legesque motus corporum coelestium. Non vero ille, ultra positiones planetarum, eorumque magnitudines progredi potest. Non astronomi est retardare actiones; motus vagantes coercere vel dirigere, vel impellere. Prædicare solummodo ei datur, minime autem corporum coelestium motibus leges imponere. Gravitationem videre non possumus; ejus operationes solummodo calculo submittere nobis datur. Quando autem machinæ humani corporis operam damus, non modo leges ei proprias investigare, sed et motus ejus ad beneficium totius machinæ, quodammodo secundum nostrum arbitrium, dirigere et ordinare nobis permissum est.

“ Quid porro,” inquit clarus Bakerus, “ philosopho dignius quam hominem; quid homine, quam seipsum contemplari.”

Domicilio scintillæ vitæ ab initio explorationi et studio exposito, ars medendi ex factis naturalibus oriens, cito affinitatem quandam cum ratione acquirit, atque ita auctoritate Creatoris cum primordiis vitæ instans, ad salutem hujus domicilii conservandam procedit: ita factis expertis ducta mens Hominis artem sibi sensim inhærentem accipit, quæ per gradus sociales proficiscitur, et sic denique cum scientia incedens ad ipsam vestram *Medicinam Professam* progreditur.

Jam prius ostensum est, Hominem primo suo ortu relationem ad Creatorem suum habere *duobus* præcipue *Officiis*, quorum *unum* est officium grati animi, propter suam existentiam: *alterum* vero in hoc ponitur, ut eam existentiam ab injuria perniciæque tutam conservet. Hæc Duo OFFICIA RELIGIONIS, scilicet, atque MEDICINÆ usque ad præsens tempus descenderunt, antiquitate coæva, et quo ad vitæ communitatem attinet, functionibus duabus societatis ordinum duorum sunt inclusa.

Ex quæstionibus hisce modice percursis redire oportet ad viam istam quæ ad rem hodiernam ducit.

De Physiologia, studiis illustrium nostrorum majorum indagatâ, satis est declaratum. In parte medicinæ Pathologica et Therapeutica perstringere quædam paucis verbis mihi liceat.

SYDENHAMUS primus e recentioribus ab ineptiis verborum nos revocavit. Observationibus antiquorum diligenter usus exercitationi medicinæ reverà practicæ incubuit. Ei, si cui alii, summa in morbis distinguendis aderat sollertia; in describendis magna fidelitas; in sanandis mira felicitas. Vestigia naturæ sequens scientiam cum principiis philosophiæ Baconi conjunctam, et experientia sua stabilitam, instituit. Intentius naturam observans, cadentem illam sublevavit; aberranti illi viam restituit; valescenti illi non oppugnavit. Non quæ ad suum ipsius, sed quæ ad rei publicæ commodum possent conferre semper cogitabat. Non quæ placuerint, sed quæ profuerint ægro, ea semper adhibuit.

MORTONUS inter febres multum discriminis esse ostendit.

Earum pathologia ab eo clarior facta postea cura et labore Sydenhami exactiori operâ tractata est.

CINCHONA in febribus curandis inducta ab hisce viris exercitationem artis colore novo adornavit. Timendum vero ne in febribus tractandis cinchonæ vis nimis urgeri potuerit. Eas enim in corpore, quæ dicuntur congestiones quando fiunt, usum cinchonæ omnino prohibere, utpote earum solutioni obstantem, quo sensus nervorum magis impediti sunt, hodierni quidam viri acuti nobis ostenderunt. Magni porro esse sæpius momenti sanguinem in febribus detrahère Docti quidam *Permissi* apud nos magno honore habiti, sollerti experientia edocuerunt.

Non multa vero proferre necesse est de Sydenhamo, clarissimo medico et philosopho omnibus vobis satis cognito, et plurimi facto. Propius ad nostram ætatem appropinquare nobis liceat, ex ævo viri illius insignis Sydenhami. Per hoc tempus, ut ex confesso est, principia medicinæ magis magisque clare patefacta sunt, literis simul doctrinæque feliciter conjuncta. Vos hanc sententiam secuti vestra auctoritate exemploque ratam effecistis :—

“ Habete honorem literis, quocunque se nomine commendent ; quocunque illæ lætentur solo. Neque enim ii vos estis qui ingenia solis Atheniensium muris claudi existimatis.”

“ Habeatis vero in memoria impressa atque insculpta, viz. inter eos, qui humaniores huc literas importaverint, principem fuisse Medicum ; Medicum eum fuisse, qui et sinceram Latini sermonis integritatem, et quicquid est Atticæ elegantiae in Britanniam transtulerit. Medicum majores vestros et Philosophiam docuisse, et Grammaticam ; ut quod recte sentiamus, id rite et pure eloquamur.”

Ex hoc eloquio, suavitate Atticæ dictionis Bakeri condito, non meo, ad BAKERUM ipsum transire placet.

Memoratu dignissimus est ille Vir ob ingenium insignis, necnon ob eruditionem, tum Græcam tum Latinam, periti- amque in arte medica, maxime notabilis. Hæc Bakeri merita, cordibus sodalium nostrorum, qui usque adhuc testes vivimus, infixæ firmiter manent. In meo certe animo hæc viri optimi recordatio plene viget, neque ex eo unquam is grati animi sensus elabetur ; dum in memoriam revoco ea benigni favoris testimonia, quibus me artem nostram

primo ineuntem, aliosque juniores medicos comiter respexit.

Eadem ætate, qua Bakerus, florebant etiam Medici illustres duo, ampla prædicatione præ virtutibus suis digni; HEBERDENUS, et WARRENUS. Utrique vero laudes debitæ præcedenti anno rite solutæ sunt, sermonibus magnum ingenii acumen atque ardorem indicantibus, illustratæ.

Inter Collegii recentiores sodales, nobiscum suavissima amicitia conjunctos, memorare licet nostrum CHRISTOPHORUM PEMBERTONUM, qui cursum cum honore magno prosecutus est donec ille morbo immani pressus, abstinere ab officio suo coactus est. Dolores gravissimos sese potuisse ferre constanti et forti animo plane probavit. Tum demum omnino fractus neuralgia, magnumque sui desiderium apud omnes cum suos, tum alios, relinquens ob comitatem erga omnes, jucunditate ornatam, decessit.

ANDREAS BAINUS ob morum mansuetudinem, et benignitatem urbanam semet ipsum universe dilectum reddidit. Dignus etiam laude fuit ob eruditionem suam probatam,

scientiamque compertam. Anno præsentis vixit, et obiit ille.

Officii mei ratio jam me ducit ad MATHÆUM BAILLIEUM nostrum, virum ab hoc fratrum coetu jure deplorandum, ob virtutes ore hominum ubique notas, et jam scite sermone idoneo prædicatas. Si Baillieo vitam longiorem Fatum dedisset, nil dubitandum esset, quin beneficia amplioris experientiæ, utpote fiduciam in illo majorem excitantis erga artem suam, ad labores ejus accessissent. Tum certe illius conatus, ex animo adeo simplici, atque ita probe justequè temperato exorti novam vim obtenuissent, novamque indolem spe majori firmatam, generi medicorum orituro iniecissent. Bailliei animi integritas, morales insuper, quæ vocantur virtutes, præcipueque firmus religionis sensus, qui in illo viro maxime enitebat, gravissimum suis fratribus exemplum præbent. Sedulitas ejus in Arte Anatomica promovenda, ad Pathologiam spectante, beneficium magnum Rei Medicæ attulit; licetque sperare hasce curas studiosos medicinæ magis ad veram morborum naturam ducere posse. Hujusmodi autem morborum indagatio, re verâ Pathologica, dubitationibus timidæ nimisque cautæ curandi

rationis minime est absolvenda, quamvis eorum causæ latitantes e conspectu nostro sese subduxerint. Fatendum quidem est indolem quandam ad dubitationes plus æquo propensam huic nostro Collegæ eximio, peritissimoque viro inhæsisse. Hæcce dubitandi indoles mente proba exorta, ipsa tandem in meliorem frugem pro utilitate publica esset reditura, si fata provectiorem vitam atque ampliorem in arte exercendâ usum illi dare voluissent.

Fatum, nobis maxime acerbum, jam plorare oportet, quod nobis illustrissimum principem eripuit, semper nos nostraque benevole respicere solitum, DUCEM EBORACI.

Inerant in illo principe tales virtutes, quales altissimæ suæ prosapiæ omnino sunt propriæ. Candor, scilicet, egregius; simplicitas ingenua; fides firma et incorrupta. Biennium solummodo effluxit, ex quo hoc ipsissimo loco vultum ejus aspeximus, tum valetudine lætum, apertum, integra conscientia hilarem; insuper benignitate erga nos clara affulgentem.

Cursu non brevi publicæ vitæ donatus, hac gloria apud omnes clarescit illustris ille Princeps: “ *Nunquam per*

*“ totam suam vitam, vel fidem fefellisse, vel amicum suum
“ deseruisse.”*

Nostrorum autem quos ploravi sodalium desiderio non licet succumbere. Sunt apud nos Viri optimi, ingenio acutissimi gravissimique, qui ad utilitatem publicam et gloriam philosophiæ et literarum integre spectantes dignitatem nostræ civitatis magno cum honore sustinent.

Gratulor vobis, insuper, ob magnum PERMISSORUM numerum, qui vestræ communitati et sibimet ipsis honorem afferunt, integritate morum, doctrinaque liberali commendati. Quam læte nos tantos viros in ordinem sociorum cooptamus, omnibus agnitum est. Sperandum est, porro, viros æque doctos, atque laudandos ex ordine permissorum ad nostram ordinem in futurum tempus sæpius accessuros.

Simul mihi et vobis et instituto nostro, O Chari Sodales, omnino deessem, nisi illam providam consultamque curam prædicarem, quam vos, vestræ dignitatis rite conscii, adhibuistis, quando ad eam sustinendam, dignissimum virum vobis præfecistis. Semper enim debito præconio solemus

collaudare, eum erga nos amorem, eam in rebus agendis sollertiam, eamque morum comitatem, quibus insigniter instructus officio suo maxime spectando, perfungitur Præses noster amplissimus.

Insuper mihi liceat in hac æde scientiæ celsissimæ omnigenæque doctrinæ sacrâ, vobis omnibus gratulari de isto fere universo animi motu, cunctos societatis ordines jam pervadente, qui ad humanam scientiam publicis inservientem commodis promovendam, æmulo quodam ardore, sub propitiis undique auspiciis feliciter excitatur. In hac causa, magno cum honore proferendus est Dux SUSSEXIAE, qui suâ ipsius generisque sui innatâ virtute impulsus, lucidumque OPTIMI REGIS, reipublicæ salutem unice spectantis exemplar consequens, omnes eas institutiones, indefessâ curâ atque vigilantîâ fovet, quæ ad utilitatem publicam evehendam ullo modo possunt conferre.

Faxit DEUS, ut hæc nostra Civitas, quæ ad hunc finem maxime destinatur, novis inventis arte medica dignis, magis magisque indies augeatur, perpetuoque insuper ea laude

clarescat, quam proprio quasi nostro jure a majoribus accepimus, qui studia humaniarum literarum, artisque medicæ, quasi commune quoddam vinculum habentia, semper colere solebant.

* * * * *

Ad finem tandem suum Oratio, plus æquo, ut vereor, prolixior jam perducitur; in qua sane quicquid ad res vestras vestrumque institutum pertinere videbatur, conatus sum attingere. Aliud autem graviusque officium adhuc manet, ut coronam, scilicet huic sermoni, jam in lucem exituro, talem imponam, qualem in hac virorum illustrium frequentia ipse locus—dicendi occasio—argumenti materia—universa denique patriæ nostræ opinio omnino postulant. Opus igitur hoc solenne benefactorum celebrationi dicatum claudat augustissimum nomen REGIS nostri, qui res vestras potissimum patrocínio suo exornat, *Principis optimi—Patris Patriæ*, sub cujus auspiciis atque ductu iis Britannia, quibus præcipue gaudet beneficiis, fruitur. Sub hoc *Principe Regente* atque *Regnante*, nationem nostram ad illum dignitatis gradum evectam videmus, qualis apud historiæ scriptores, eâ

maximâ, qua pollent, eloquentiæ copiâ, quasi felicissima rerum summa solet prædicari.

Magnum ecce ! Sui populi imperium per novam adhuc et inauditam amplitudinem porrectum, intra cujus fines Sol eodem ipso temporis articulo occidit simul atque oritur, sub Regis nostri paternâ ditione, mutuo inter sese amore, pace et tranquillitate firmiter conjunctum. Britanniam, ecce ! Imperii Domum, indies egregiis iis muneribus, adauctam atque ditatam, quæ religionis morumque bonorum causam—literas atque scientias, artesque etiam ad mercaturam pertinentes ullo modo possunt promovere. Novam, ecce ! ortam Metropolin—amplis viis—splendidis ædificiis—rebus sollerter excogitatis et affabre factis, undique instructam—populi æque commodis atque publicæ magnificentiæ inservientem, quæ quidem summo jure Gubernatoris nomine insignitur, qui potestate—mente—consiliis suis hocce opus egregium molitus est atque perfecit.

Ecce ! tandem ejus ætatis diu expectatæ adventum, quando Rege nostro duce atque auspice, Britannisque suis gnaviter adjuvantibus, is magnus sæculorum ordo jam nasci gestit, ubi justitia contra foedam insolentemque barbariem

sese eriget, longâque illâ formidine terram solvet qua tam indigne huc usque stupebat.* Victoria *Navarinia* quâ nihil in fastis temporum, si ad omnia respicis, est splendidius, liberationem Græciæ e teterrimâ tyrannide annunciat, et nisi omnia nos fallant auguria, salvam firmamque præstabit. Hoc Græciæ jacenti auxilium e consiliis proficiscitur, summa civili sapientiâ commendatis, et quod melius est, eum generosum humanumque animi affectum ostendit, qualis in maximis ingeniis pro communi salute consulentibus maxime elucere solet. Quicquid a Græcia, almâ Musarum omnium Gratiarumque matre in literarum artiumque cultu accepimus, illud iterum quasi pii filii Græciæ afflictæ et prostratæ reddimus. Sanctum Crucis vexillum jam attollitur; neque posthac audebunt Barbari feroces—crudeles—infidi—venerandum nomen Religionis nostræ opprobriis lacessere. Vix credet posteritas gentes Europæ adeo bello potentes, quæ Christi fidem profitentur, per tantum temporis spatium, huncce feritate immanem populum tolerasse; eamque denique felicem ætatem laudibus efferet, in quâ antiqua hæc scelera, sub magno vindice, e terris sunt sublata.

* Pars addita post habitam Orationem.

Ex officina T. Bretsch, Rupert-street, Haymarket.

Jam instat dies, ut boni omnes cordatique sperant, quando Græciæ lux iterum effulgebit—quando nova Athenarum urbs novâ gloriâ clarescens iterum exsurget, aliaque templa eriget, alii meliorique Christi cultui dicata, non “ ignoto cuidam Deo,” sed *vero notoque Numini*—rerum omnium Creatori, DEO OPTIMO MAXIMO sacrata. In his novis Athenis, quando alter Pericles, grande suæ urbis decus exorietur, et coram populo Atheniensi eorum laudes magnifico Attici sermonis eloquio illustrabit, qui defendendæ Græcorum causæ strenuâ operâ atque contentione incubuerunt, tum fama Magnæ Britanniæ, victoriæque Navarini reportatæ, in cælum tolletur :—tum mutato Marathonis nomine Græcia novo voto jurabit, *per Anglos, qui Navarini pugnarunt.*

Tum denique Princeps noster, Magnæ Britanniæ Rex, conclamante undique Athenarum urbe, quasi magnus Græciæ oppressæ vindex, summus Græciæ renascentis Stator celebrabitur.

FINIS.